

quām Genicula nominantur, à quibus persæpe & geniculatim & articulatim rami prodire dicuntur. Quod inter artus & genicula medium intercedit, Internodium dici confuevit. Geniculatæ quoque radices nuncupantur, quæ nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotundæ & leuiter capitulatae. Partes crassiores nodis congregatae, in quas internodiorum extrema coeunt. Vertebræ nominantur. Laterib; etiam prædictæ sunt herbae, quibus laterales funduntur rami, aut virgineæ in ordinem digresi prodeunt. Ad hæc, particulae teretes & oblongæ in capilli modum extenuatae, Capillamenta dici confueverunt, qui si contorta crispenunt, Cirri mutuantur appellationem. Differenti Cirri ab Aceribus illi enim tota polyporum flagella sunt; hæc in flagellis cirrisq; rotundæ cauitates sunt. Capillamentis germanæ sunt fibræ, quæ plantarum minutiores sunt radiculæ, in quas veluti extremas crassiores effusa sparguntur; sic radices multæ fibræ capillatae, necnon etiam capillamentis fibratæ pinguntur, quæ veluti crinibus quibusdam circratae comantur. Vertex, Fastigium, Cacumen id esse constabit, quod longissimo à radice distat interquallo, ut crus, quod proximum sit pedi. Oculus dicitur, quod persæpe in huiusmodi alarum sinu videantur oculi; is inoculationi nomen fecit. Ceruix pars illa est, quæ à capitis radicibus prodiens, prælonga, teres, in colli speciem figuratur, ut in Cepis & Porris; & id genus similibus. Umbella est, quæ in plantis summatis infidet; estq; floris seminiū pedamentum, in plures digestum longiores pediculos, qui simul ex fastigio eodem orti in latius continuo radiantur, singulij. florem vel semen sustinent in orbem circumactum, ut in Sambuco, Feniulo, Aniso ac Dauto, & nonnullis alijs. In orbem quoque radiatas herbarum comas cacuminæ, in fasces coacta, Latini Muscaria vocitarunt a fabri similitudine, cuius ventilatu musca e contuq; abiguntur. Cymæ sunt saporum delicatores tenerioresq; coliculi, quas à prima pullulatione præstant. Pappus, lanosus villosus est, qui deflorescentibus aliquot herbis remanet & postea in auras evanescit, ut in Carduis, Senecione, Soncho, & pleriq; alijs sit. Herbe quædam & arbores quadam lanugine pubent, quæ est lanata quædam hirsuties, qua stirpium aliquor folia, coliculi, termitæ canescunt. Aculei sunt, quæcunque duriuscula in cuspide turbinata punctionem infligitur spiculorum modo. Echinus est, quidquid numerosa congerie aculeorum stipitur siue tegmen, siue caput, siue cacumen: sic dictus, quod globoſo spinarum agmine maris Herinaceum mentiatur, ut in Castaneis. Dipsaco & Spina alba appetet. Semina multis varijsq; conceptaculis recipiuntur, nempe siliquis, valuulis, folliculis, loculis, vasculis. Folliculus est theca cuiuslibet rei, quæ granum vel semen continet inuolutum. Silique tegumentum est, quo vel grana leguminum, vel herbarum semina concluduntur nam non leguminæ modo, sed quamplures quoque herbæ & frutices filiquantur. Valuuli cum ceterorum leguminum folliculi, tum præsertim Fabarum appellati sunt, quia vallo quasi valuoli grana excutiantur. Vascula reliqua seminum inuolucra, quæ si veluti parva capsula ea recluant, Loculamenta dicuntur; si pectinarij sacculi follicularem formam referunt, Vulvae sibi nomen asciscunt. Circinatus florum vel foliorum ambitus, qui colicalos, aut ramulos herbarum coronat, Verticillu est, ab instrumeti mulieris similitudine dictu, quod fusi vertedì gratia solitu est adhiberi. Omisis vero partibus Frumento & Ytri dicatis, vi nostro

istro instituto minimè oportunis, alijsq; ad figuram pertinentibus, breuitati studeb; huic capiti finem impono.

*Saporum in Plantis repertorum differentia inuenientur.* Cap. VIII.

Q Vippe cum in ordine seruando, in tractandis plantis hoc in opere contentis, connexionem cognatione saporum esse seruandam operè pretium fore duxerim; ad clariorem ideo notitiam de saporum differentijs, quantum nostro instituto conuenit, nunc agere intendo. Et si hæc inquisitio pertinet in summa ad secundum de anima, in specie ad librum de sensu, & sensilibus, priuatim verò ad librum de saporibus; attamen quia tripliciter sapores considerari possunt, primo in ordine ad gustum, cuius sunt obiecta, secundo secundum propriam naturam, tertio secundum subiectum, cui insunt; primus, & secundus modulus ad Philosophos pertinent, quare de his Aristoteles in præallegatis locis differit, tertius ad medicos; atque ita Galenus considerans mixta, ut ad sanitatem conferunt, sapores, ad ipsorum temperies dignoscendas, ordinavit. & sic per subiecta distinguunt. Et quamvis nulla qualitate, earu que secundæ appellantur, firmum satis indicium ad mixti temperamenti dignoscendum, sumi possit (sola enim experientia id asequimur, cui vnicè fidendum) ex saporibus tamen non parvum, cum ad id consequendū, rum ad plantas ipsas dignoscendas. Scendum ergo, quod de saporū differentijs, ac numero, prisci non pariter sensisse videntur. Plato namque in Timo, ut refert Galenus, quodammodo octo posuit, Acerbum, Austerum, Acidum, Salsum, Nitrosum, Amarum, Acrem, & Dulcem; alio modo quinque, primos duos Acerbum, & Austerum, eiusdem ferè speciei esse assertens, solum autem in ratione maioris, & minoris differentes. sic salsum, nitrosum, & amarum. amarus namque ex nitrosum prouenit intensio; salsus verò aut nitroso imbecillior aut adstrictiois quoque aslumens aliquid, ex adstrictione specificam differentiam adsciscere videtur. Alij addunt alium, quem Adstringentem vocant. huncq; Plato eundem cum austero esse intellexit, nihil enim aliud est, quam austerus remissus, qui in malo Cydonio, & Medico reperitur. Theophrastus addit. Vnctuosum, seu oleofum, seu pinguem, qui potius in numero succorum à Platone ponitur. Vnctuosum enim esse non ad saporem, sed ad modum substantię succi pertinet. Alijs nouem dicuntur, acer, acidus, pinguis, salsus, austerus, dulcis, amarus, acerbus, insipidus. tres primi è tenui materia prodeunt, medij è mediocri, postremi è crassa, atque terrena. Nos octo tantu veluti nostro proposito oportunos explicabimus, acrem, amarum, salsum, dulcem, insipidum, acidum, austerus, & acerbum. Actis sapor est, qui linguam, & os acrimonia ferit, copungitq; ac fauces mordet, simulq; calefacit, & interdum quasi exurit, is maxime conspicuus est in Pipere, Pyrethro, Euphorbio, Nasturtio, Allio, & Cœpa, Abuapatis, Cili, Cilpantzoll, Cilmeat, Tazpatli, Anchœa, & id genus alijs. Fit autem ex tenui, secca, calidaq; materia. quare omne id, quod gustui acre, mordenit, se præbet, ignet naturæ particeps est. idem sapor reperitur in edulis quibusdam, quibus vnum pro oblatione multis verò vt condimentis tantum, cum erat in simpliciter medicamentis, vnum in deleterijs, qui si nondum vehementis est, sed infra tertium calefaciendi ordinem

B subsistit,

1. simpl.  
med. cap.  
35. & 36.

subsistit; vim, atque facultatem habet, intro sumptus, penetrandi, meatus aperienti, crassosq. humores attenuandi. extrinsecus corpori adhaerens, cutem rarefacit, humoresq. clicit, ac rarefacit. Quod vero iam acrius est, tertiumq. caloris gradum exuperat, preterque gustus acrimoniam, caput tenui vapore ferit, si crassioris sit essentia causticum est, & aut vesicas excitat, aut crufas molitus. Sin tota substantia animanti aduersatur, septicu, id est putrefaciens, & deleterium est. Amarum sapor insuavis est, ac tristis. gustum diuelliit, & lingua corrodit. eo insignis est Aloe, Absynthium, Gentiana, Centaurium minus, Colocynthis, Cimpati, Zenanam, Tepatli, Zzompotic, Texompatli, & eiusmodi alia. Crassa eius est materia atque terrena, quam exuperans calor pressauit, & exiccauit. quare omne amarum calidu, & siccum est. eti aliter Auerroes sentiat, negans saporem amarum ex calore fieri semper, sed ex calore, aut frigore fieri posse, modo calor, aut frigus cu desiccatione coniungantur. idq. multis exemplis monstrare nittitur, vt est apud eum videre. cui se subscriptibit Valleriola. quorum rationibus satis optimè doctissimus Vallesius respondet. Hinc sane precipua vis detergendi, & meatus expurgandi amaris inest, introq. sumptis infarcitus expediendi, & admotis sordida vlcera detergendi, & expurgandi. at quia exiccadio, superuacaneos humores absorbent, aut detergunt, & dulcedini, quæ putredinis parés est, prorsus aduersantur, putredinem inhibent, & corpora diu integræ tenuent. Salsus sapor est, qui linguam exactè siccando corrodit, non tamen admodum calefacit. in mediocri materia consistit cum calore, & siccitate. aquæ enim materie (quæ non exquisitè simplex est) partes quædam terrenas permixtas calor externus tandem præassans, & vrens, atque siccans, salsum saporem inducit. fitq. à terreno sicco, quod in aquo humido caloris vi præassatum, attenuatumq. est. neque igitur prorsus terrenus, vt Galenus inquit hic torus manet, sed permixtus obtunditur; siccitas vero maior conquiritur, & persistit. Itaque quod salsum est, poros contrahit, incidit, detergit, digerit, seu sua siccitate potius humores absorbet, sine manifesto caloris sensu. quo fit, vt à putredine vindicer. a fale nomen accepit. quare hoc genere salis species omnes continentur, aqua marina, Tztatl, Tequixquilit, & his similia. Dulcis sapor suavis, ac iucundus est, nullaq. qualitatis exuperantia molestus. nam materiæ, & temperamenti medicoritatem obtinet. Hac de re exasperata lenit, maturat, concoquit, & anodynus est, ac alimentorum omnium communis. omnium namque nutrientium cōmuniis dulcedo est. quidquid enim nutrit, aut plus, aut minus est dulce, ex Galeno. Conspicuus est hic sapor in saccharo, melle, Glycyrrhiza, Tzompelicxibul, Tzatacanalit, Cuzzapollin, Coltol, & huiusmodi alijs. Insipidus sapor impropriè dicitur, vt qui saporum potius priuatio sit, nullaq. qualitate afficit, nulloq. gustu saporum percipitur. Huius materia tametsi quodammodo crassa est, non tamen prorsus terrena, siccata, & adstringens, sed humore quodam perfusa. qui etiam non exquisitè permiscetur vi caloris. & quia eius materia emplastica est, meatus omnes infascit, & obstruit, exasperata lenit, & soluta conglutinat. Quamvis autem sapor hic dulci sit affinis, distat tamen, quod paulo crassiore, & crudiore constat materia. Id saporis genus in aqua excellit maximè, inde in Cucurbita, Peponibus, Ommezli, Quodamnoli, Thapatl, & huius generis. Acidus sapor est, qui gulfum penetrat, & tenuitate ferit, citra tamen ullum sensum caloris. in te-

nui

<sup>4. simp.  
med. cap.  
14.</sup>

qui inest materia, frigidæ, siccantisque est naturæ, suaque tenuitate ad penetrandum, & incidentum nihilo ferè infirmior est acri sapore. quare incidit, attenuat, mordicat, detergit, obstrcta liberat, repellit, & siccatur. frigoris enim altè subeuntis beneficio fluxiones omnes repellit, siccitatèq. que planè valida est, sanguinis eruptiones sistit, ac cohabet. Eius vis in acetato maxime apprehenditur, in fucco limonū, mali citri, & in Oxalide Tomatl, Tlatalauhepatli. Austerus sapor est, qui moderatè os, & linguam costringit, & quadam asperitate coarctat, ac quadrantenus refrigerat, & exiccat. Consistit in materia mediocre, quæ terrena, & aquæ particeps est, in qua non calor, sed frigiditas dominatur, & exuperat. luculenter refrigerat, extinguit, cogit, atque contrahit. fluxiones moderatè sistit, atque repellit. propriè crudus humor appellatur. estq. immaturis fructibus peculiaris, vt in Mespilis, Cornis, Pomis, & Pyris silvestribus, Vuaq. acerba, Gacapolon fructu immaturo, Texotl fructu incompleto, Copalxochotl etiam fructu immaturo. Acerbus sapor austero finitimus est, co tamen grauior, molestiorq. ac magis linguam, gustumq. omnem constringit, & exasperat. ac proinde magis tum siccatur, tum refrigerat. eius materia planè terrena est, & siccata, nec aquæ, nec humoris manifesto particeps. in qua non calor, sed frigus exactè dominatur cum siccatur. Itaque vt frigidus fluxiones repellit, vt adstringens humorum impetum sistit, ac cohabet; vt siccans coarctat, atque densat, vulnera, cicatrice obducit; vt terrenus humores incrassat. Sapor hic in malicorio, Galla, Rhoe, & Cupressi nucibus, Exquabuitl, & Mizquilt, & huiusmodi alijs cōspicitur. Cumq. corpus acerbum terreum sit, ac frigidum, tripliciter necessariò exoluuntur, vt Galen. ait, aut incalescens, aut humefcens, aut vtrumque simul perpetiens. Itaque si calescat dumtaxat, nec humidius fiat, neque mollius, sed durum manens, solam acquirit dulcedinem, velut robur næ glandes, ac potissimum quæ vocantur Castaneæ. si tantum humefcatur, siquidem ea crassarū sit partium, & aquæ humiditas, austерum euadet. cuiusque enim saporis vires aquæ retundit, atque hebet humiditas: si vero tenuium partium, & aerea sit, ac escet. oftensum nāque est, frigidum subtile, acidam efficere qualitatem: at si pariter humefcar, & calescat, humiditate quidem aquæ in dulcedinem, aerea vero transibit in pinguedinem.

<sup>4. simp.  
med. cap.  
14.</sup> De Plantarum noui Orbis, ab indigenis veteris huius diversitate; earundemq. multitudine. Et cur de paucis hoc in opere tractetur. Cap. IX.

**H** Vius nonnullas veteris Orbis indigenas plantas in nouo Orbe ortum ducere, fama est, quamplurimas vero noui illius esse proprias, quarum penè nulla in hoc antiquo visitur. Hanc Indiæ plantarum diversitatem ad aures Theophrasti peruenisse eius verba, qua scripta reliquit 4. de Histor. plant. cap. 5. restantur. vbi loquens de Indica fico, alijsq. Indiæ arboribus, & herbis, ac absoluto sermone de fico, & alijs duabus congenitibus plantis, subdit. Sunt etiam alia, plura ab ijs diversa, quæ Græcia gignit, sed nomine carent, nec mirum quidpiam ex eorum proprietate putandum; nam, vt quidam referunt, nulla omnino arbor, nullus frutex, nulla herba similis ijs comperitur, quæ in Græcia proueniunt, paucis exceptis. idq. etiam ex Iconibus, figurisq. plantarum regijs in libris contentarum a quouis optimè satis percipi potest. Tanta namque arte, & peri-

B 2 tia,

tia depictæ sunt, ut tum in illarum partibus, totaq. figura delineandis, tum colo-  
ribus punctis applicandis, gens illa nec Apelli, nec cuiquam antiquorum cedere  
videatur. Imagines, & similitudines planitarum, & animalium ita ad viuum vi-  
suntur, ut res ipsæ, seu accidentia in rebus ipsis inherētia apparent, ut ex non-  
nullis plantis, & animalibus ad nos delatis coniectari potest. Non ab re itaque,  
omnes naturæ prestantiam in plantis admirantur, non tam quod infinitum  
earum numerum procreauerit, quam quod omnes sic variauerit, ut  
non sit reperire plantæ speciem, quæ alijs ex toto similis sit. Hanc plantarum  
specificam diuersitatem cœli, & soli proprietate, ac ratione fieri scriptum.  
  
1. de cauf. plant. c. s.  
 reliquit Theophrastus, vbi loquens de generatione plantarum spontanea, a  
principio statim inquit. Spontè autem alia excunt ( ut simplicius loquar ) quæ  
minora consistunt, & maximè quæ annua, herbaceaq. natura sunt. Ceterum  
etiam, ut etiam maiora interdum ita gignantur, cum aut imbræ frequentare,  
aut proprietas aliqua in cœlo, & terra consistat, in fine autem capitis concludens,  
inquit. Itaque quantum in vniuersum exprimi licet, generationes huiusmodi  
fieri necesse est, terra subseruēta, coactoq. humore admixta, commutatoq.  
ex solis ardore, quemadmodum & animalia progenerari videmus. Quæ Theo-  
phrasti verba, æquo si recipiantur animo, plantarum materiam esse quatuor ele-  
menta, inferre videntur. Nam per tetram subseruēfactam duo sicca elementa,  
nempe terram, & ignem intelligit; per humorem duo humida, nempe aquam,  
& aërem, quæ simul cum siccis admixta, & coacta, plantarum materia euadunt.  
Causam vero agentem solis statuit calorem operantem in elementa illa, vniendo,  
mutando, ac disponendo ad plantæ formam introducendam, virtutemq. formæ  
plantæ productiua infundendo. Elementorum namque virtutes cuiusq. for-  
mæ mixti productionem attingere non possunt, nisi sit superior alia virtus, & hec  
est à cœlo. Motus itaque cœlorum causa vniuersalis est mutationum inferiorum,  
ut putat elementorum mixtorum, inanimatorum, plantarum, & animalium.  
non quia motus per se producat quicquam, sed quia est vniuersalis quedam con-  
ditio caussæ. nam sol & astra applicata, & lata per motum in situ diuersos, re-  
rum diuersitates operantur, ex Aristotele. & hæc de plantis sponte nascentibus.  
  
2. de ge. ner. tex. 55.  
 Plantis autem ex semine, vel ex analogo ortum ducentibus ( corpora enim cele-  
stia non eodem modo operantur in hæc inferiora ) motus cœlorum non totam  
imprimat virtutem, sed coadiuat aliam virtutem. Coadiuuat enim virtutem,  
& calorem naturalem seminis, vel analogi, qui est eiusdem rationis cum celesti.  
& sic cœlum omnium caussa est, non solum productiua, sed conseruatiua, non  
enim consisterent multum inferiora hæc, præsertim plantæ, & alia viventia, mo-  
tu hoc, & influxu cœlorum cessante. A syderibus quam magna vis oriatur in  
plantis, scriptum reliquit Theophrastus. Sed de his hæctenus, alterius est operis.  
Et si autem infinitus ferè sit numerus specierum plantarum, noui indigenarum  
Orbis, de paucis tamen agere in hoc opere vñsum fuit. nam tantum in his tria illa,  
quæ Galenus in medicis præceptis, ac cunctis alijs obseruāda statuit, reperiū  
contingit, quorum id erat in primis, quod ea, quæ tractantur, debent esse vera, secundo  
vñsum, tertio iactis principijs conuenientia. Cum ergo inter tot mille plantarū dif-  
ferentias hæc sola reperiantur pluribus, ac notatu dignis prædictæ facultatibus, ac  
vñsum

vñsi medico vñtilibus ( in commodum namque artis medice professorum præ-  
puè præfens editur opus, quibus plurimum, ut debo, præ cateris proficere, animus  
mihi semper fuit ) iactisq. principijs consentaneis, ac antiquorum, præsertim  
Galeni, methodo non repugnabitibus, non immerito harum tantum historias,  
Icones, & Imagines distinctas prælo tradendas, operè pretium duxi.

*Dubia eorum, qui afferunt, Inartificiosum, & Inutile esse tractare de plantis propon-  
nuntur, & breuiter cauſe, deceptions in plantis efficien-  
tes, narrantur. Cap. X.*

**P**lantarum descriptions fallaces esse, earumq. virtutes inefficaces, atque  
euaniadas pleriq. medicorum queruntur, multaq. passim obvia apud veter-  
es, quæ parum apte, si nostris conferantur, suo nomini, ac descriptioni re-  
spondere, eq. diuerfas esse herbas contendunt, licet nostro aūo idem nomen  
obtineat. sic Iberidem, Centaurium minus, Smyrnium, Hippoglossum, Phyllitum,  
Pentaphillum, Phu, & nonnulla alia diuerfas esse existimant, quia veterum  
descriptionibus non per omnia congruant. ac perinde de plantis noui Orbis op-  
ponunt, in illarum descriptionibus deceptions quamplurimas contingere po-  
tuisse. tum etiam experimento satis constare, nonnullas plantas illius Orbis indi-  
genas in veteris huius translatas regiones obiisse, quasdam inefficaces, atque euani-  
adas euassisse; alias mutationes magnas perpetias fuisse. quare ob difficilem  
plantarum inuestigationem, descriptions fallaces, magnasq. mutationes, tractare  
de plantis esse inartificiosum, & inutile opinantur. His ut satisfiat, scire licet,  
deceptions multifariam in dignoscendis plantis, ob earum mutationes contingen-  
tiae posse. Variantur namque plantæ quadrupliciter. primo ratione nomenclatura,  
secundo ratione numeri, tertio ratione delineationis, vltimo ratione facultatum.  
In nominibus enim proprietas eorum, & simplicitas consideratur, quæ tum  
in plantarum generibus, tum species bus est. hisq. vel vniuersis, vel corū partibus.  
nempe hæc omnia suis, & non alienis, atque improprijs, nuncupantur nominibus,  
ut quod arbor est, arbor vocetur. sic de fruticibus, lufffruticibus, & herbis. pariter  
& circa species, in quibus non solum proprietas est consideranda, ut scilicet appo-  
sitis sibi nominibus appellemus, sed etiam vniuocatio; nempe, ut perpetuò vnum  
nomen, si fieri potest, vni, & non pluribus imponamus. Idem in plantarū partibus  
obseruandum est, ut quod radix est, radix nuncupetur, caulisq. caulis nomine ap-  
pelletur. sic de caudice, ramo, cortice, folio, flore, fructu, ac semine. Hæc in nomi-  
nibus obseruanda sunt. In speciebus autem numerus potissimum spectandus. qui  
est, vel determinatus, cum dicimus, alius plantæ duas esse species, vel tres, vel  
quatuor; vel indefinitus, ut si plura esse aliquius plantæ genera dicamus. At vero  
in descriptionibus longè plura consideranda sunt. delineantur namque plantæ  
per substantiam, per quantitatem, tum continuam tum discretam; per qualita-  
tem, quæ est visibilis, odorabilis, gustabilis, & tactilis, quæ etiam vel definitæ, vel  
indefinitæ sunt; per figuram, ac per similitudinem, quæ etiam ad qualitatem re-  
feruntur; per situm, per ordinem, qui quandoque confusus ponitur, nonnun-  
quam explicatur; per tempus, quod aliquando determinatur, quandoque indecer-

minatum ponitur, per locum præterea, & regionem, quæ omnia mutari possunt, ac præter naturam reddi: & sic plantas variari, & deceptions contingere. Facultatum denique ratione, triplici ex causa in plantis error contingere potest. primo ratione plantarum, scilicet cum planta non induxit effectum, quem promittit; secundo ratione corporis subiecti; tertio ratione affectuum præter naturam, quibus plantæ destinantur. At quia ex dictis quisq. facile deceptions, quæ in dignoscendis plantis ex mutatione, ratione nomenclatur, & ratione numeri contingere possunt percipiet, merito, ijs omisssis, ad mutationes ratione delineationis in plantis contingentes deuenimus.

*Modi mutationum in Plantis delineationis ratione eueniuntur*

*explicantur. Cap. XI.*

**B**ifariam mutations in plantis delineationis ratione eueniunt: nempe vel quia plantæ non accommodantur descriptionibus, vel contra, quod descripciones non accommodantur plantis. Plantæ quidem auctorum descriptiōnibus repugnare videntur ob mutatam faciem. idq. pluribus modis eueniuntur: primo sūi ipsius ratione, secundo ratione Cœli, tertio ratione soli, quarto ratione cultus. Sūi ipsius ratione dupliciter est: nam vel ratione substantiæ, quæ in cunctis plantarum partibus consideratur, vt si aliquam quandoque in planta partem deficere, vel superaddi contingit, siue pars illa sit naturalis, siue præter naturam. naturalis quidem, vt capillamenta, quæ Tribuli aquatici caulinibus adnascuntur, quæ nec folia, nec caules Theophrasto auctore esse videntur, sed Cauli adnascētia. sic & Viscum, & Stelis, & Hyphear, quæ non nisi in aliena arbore nascuntur. ita & Ledon Cisti species, in cuius folijs pingue quoddam verno tempore contrahitur. Ad substantiam etiam, gummi, lacrymæ, lac, succi, & id genus alia, referri possunt, quæ quandoque sunt, aliquando, cum esse debent, deficiunt, vt Masticæ, iuxta Chamæleonis albi radices; sic & quæ deficiunt, vt Chondrylla. Alterum genus quod folia fert circumosa, vt & Othonna, & Chamæleonis nigri radix, quæ interdum exesa est. Quæ præter naturam sunt, huiusmodi esse solent, vt cum Flcui scabies nascitur, ergo Oliuus, atque eadem in frugibus, ex serenitatibus, flatibusq. austriñis, aqua, & rora in spicis insidente, quibus ex sole feruēfactis ergo creatur. sic & cum præter naturam aliqua deficiunt, vt in Myro, quæ iuxta balneum sine nucleus exiit. Secundo modo planta sūi ipsius ratione faciem mutat ex arate, quæ in eius pueritia, adolescentia, & senectute conficit. et si aliqui senectutem diuidentes in marcorem, & senectutem, considerent senectutem in planta dupliciter, primo modo antequam planta à terra euellatur, secundo postquam lecta est, nos tamen hac subdiuisione omissa, dicimus, plantas ætatis ratione mutare faciem. quia non eodem modo in pueritia adolescentia, & senectute erit, vt in Tussilagine appetat, quæ luteum florem prima germinatione vere emittit, quo vna cum caule confessim exiuit. in lib. 3 cap. proprio.

in alijs

in alijs quibusdam herbis idem Dioscorides in sui operis præfatione his verbis confirmat, quæ causa etiā nonnullis scriptoribus imposuit, qui herbas quædam, verbi gratia Gramen, quinquefoliū, & Tussilaginem amittere florem, fructum, & Caulem negant. & hoc non ob aliud, nisi quia non omni ætate herbas inspexerunt; ac propterea Dioscorides loco præallegato haec verba prius scripta reliquit. Quare cui in animo est horum peritiam assequi, necesse est, cum prima germinatione solo emergentibus, adultis, & senectentibus adesse. nam qui pullulanti herbe duntaxat adstiterit, adultam cognoscere non potest, neque qui adultam tantum inspicerit, nuper erumpentem nosceret. Quo fit, vt propter mutatam foliorum faciem Cauliū proceritates, florū, seminiq. magnitudinem, & id genus alias peculiares notas, nonnulli, qui olim has rerum varietates non prospexerunt, magno in errore versentur. & paulò post subdebat: Ergo, qui saepius ad visendas herbas, & earum natales se contulerit, earum cognitionem maximè consequetur. At si mutatio cœli ratione contigerit, haec ob annorum varias constitutions erit: prout enim cœlum varias reddit anni constitutiones, annus clementior quandoque aut horridior fit, & ita plantas variat. acris namque inaequātem maximè spectandam esse, Theophrastus docet. Alijs enim imbre conueniunt, quibusdam repugnant. ita & flatus, & frigora, & calor, ex quo fit, vt si his adsint, illis desint, non paucæ varietates efficiantur. vel enim figuram mutant, vel minores solito, maioresq. redundunt, non solum vniuersæ plantæ, flores, frondes, radices, aliq. illarum partes, vel tempestiuſi, vel tardius proueniunt, vel etiam omnino marcescunt. unde recte in prouerbio est, vt Theophr. inquit. Annus fructificat, & non tellus. Soli ratione plantas variare quandoque contingit. ac perinde vt locus, varias temperaturas in primis qualitatibus sortitur, ita multas diuersitates in plantis procreare potest. At quia dupliciter locus intelligi potest, vel pro vniuersa regione, vel particuliari alicuius regionis loco; si primo sumatur modo, quamplurimas in plantis mutations efficeri solet, ita vt & Stirpium indagatoribus, & Medicis, ac Philosophis in earum cauissimis inuestigandis maximum faciliſſerit negotium. Quantum enī naturæ ob regiones varientur ex Hippocratis de aere, aquis, & locis, libris, ac Galeni opusculo, cuius titulus est, Quod animalium mores temperaturam corporis sequantur, percipi facile potest. Ex regione, homines timidiiores, vel audacioreſ petulantioresq. effici videmus. in una magnanimi, ac ad viriliter agendum, ac labores quoq;unque perferendos aptissimi sunt; in alia debiles, inertes, infirmique in hac mansueti, & mites, & in illa feri, & immanes nascuntur. Sunt & regionum omnium venti peculiares, & aquæ. sol etiam sicut vel recte respicit, vel oblique, vel medio modo: sic etiam maiorem, aut minorem, aut mediocrem moram contrahit, & ob hoc hominum natura, mores, colores, & corporis habitus diuersissimi euadunt. sic & ceteris animalibus, multoq. magis plantis contingere posse, rationi consonum est, cum haec leui quauis ex causa præ illis mutationes fulciperæ aptæ existant. Magnæ igitur ac plurime, regionum ratione, diuersitates in plantis esse possunt. amant enim plantæ has, vel illas regiones, ita vt quædam quorundam locorum vernaculae sint, aliae in quibusdam nasci nullo modo possint Theophrasto teste, qui Thus, Myrrham, Laſer, Cinamomum, & Calsiam plagiis ad exortum, meridiemq. vergentibus veluti peculiaria, minimè

## RERVM MEDICARVM NO. HISP.

minimè verò septentrionem versus prouenire recenset. quasdam frigida loca  
 amare, vt Pinus, Robur, Abies, Taxus, Castanea, Tilia & reliquæ similes. & ex plâ-  
 tis humilibus nonnullas algentia loca querere, vt Febrifuga, Absinthium. item  
 quæ radice, siccœ medentur, vt Veratrum agitorium, Scammonium, & cuncte  
 ferè, quantum radix expetitur. propterea substantiæ varietatem ex regione spe-  
 lib. 16. c. fantes, inueniemus multas plantas, omnes partes non posse perficere. Plinius  
 loci virtutem fieri infructuosa tradidit, sicut cædua quæ in Paro sylua nihil  
 fert. Persicae arbores in Rhodo florent tantum. Galenus in regionibus non admis-  
 1. de A. lim. facul. dum calidis, Palmas non perfectè maturare, asserit. Theophrastus verò inquit,  
 cap. 16. 3. de Hi. si quis Palmam nostratem in Babilones erat, loci illius domestici similem-  
 stor. plant. reddi fructiferam. Quin & vitia, morbiq. regionis ratione plantis euenire solent:  
 4. de cauf. Nam apud Tarentum, vt Theophrastus refert, Oleæ cum florent, quandoque pe-  
 plant. 16. nūria flatus aerugine infestantur, nonnunquam situ quodam ex mari caliginoso,  
 & 1. cap. crassio. cum floribus residente odorem amittunt. Quare etsi arbores maximæ,  
 & pulcherrimæ illuc sunt, fructum tamen minimum reddunt. idque etiam ap-  
 parer in Ari specie illa, quam eruditiores Ægyptum Arum appellant, quamvis  
 quamplures medicæ materiæ professores Colocasiæ esse autemant. quæ quam-  
 vis in Ægypto, necnon in Sicilia omnes sui partes compleat, in Italia tamen, &  
 Hispania neque semen, neque florem, neque caulem, vnguemq. vel certè raro  
 lib. 3. de mat. med. proferre visa est. Idem etiam in Dictamno Cretensi appetet, quod vt Dioscor. ait,  
 cap. pro. profere compertum est. at id mendosi codicis ratione euenisse, vt inferius dice-  
 mus, potius censendum est. Qui autem mira circa varietatem in substantia ex  
 regionum natura scire cupit, legat quartum librum de histor. Plant. Theophrasti  
 plerisque in locis, ac præterim cap. 5. & 9. Nascendi tempus etiam a regione va-  
 8. de Hi. riatur, cuius rei multa leguntur exempla apud Theophrastum. inter quæ mira-  
 bile illud sane videtur, quod in medio contingere in frumentorum ortu asserit.  
 c. 3. Ceterum quod magnitudinem variare possit regio, facile sciit is, qui fructus ex  
 India ad nos allatos inspererit. sunt enim nostrisibus decuplo maiores. quod cum  
 lib. 7. c. 2. animaduertisset Plinius, inquit, in India arboreas tantæ proceritatis traduntur, vt  
 sagittis superari nequeant. subdit deinde, Hæc facit libertas soli, temperies cœli, &  
 8. de His. aquarū abundantia. Theophrastus asserit, quodam in loco Asia ultra Baetra fru-  
 cap. 1. mentum adeo grande fieri, vt oliuæ nucleos æquer. & alibi, Arbores in Corsica,  
 c. 9. magnitudine amplissima, magnoq. discrimine ceteris superare refert. & circa  
 Memphim, Arborem tantæ magnitudinis esse, vt tres homines eius nequeant  
 4. de His. amplecti caudicem. idem Theophrastus asseuerat, qualitates etiam variari ex re-  
 plan. c. 3. gione sepe contingere, vt odorem, colorem, saporem, & omnes alias differentias  
 ad taedium pertinentes, vt duritatem, leuitatem, lentorem, atque his contraria.,  
 molliitem, hirsutem, & ariditatem, vt in Ægypto, vbi flores odorati, ob caussam  
 6. de cauf. a. Theophrasto narratam. Saporem in plantis variari ex regione colligi potest,  
 cap. 13. ex Diſcor. lib. 2. vbi de Brassica asserit, quod in Ægypto proper amaritudinem  
 non estur, in Hispania, ac Italia, alijsq. regionibus suauissimi est saporis. De Aro  
 de Alim. facul. loquens Galenus inquit, Ari radicem, ad Cyrenem minimè esse medicamento-  
 fam, & acrem, vt Rapis etiam sit virilior & edem, quo Rapa, modo mandatur.

In

## LIBERAPRIMVS.

In Asia magna ex parte esse acerius, & in quibusdam regionibus ita acre esse, vt  
 ad Dracontij radicem accedat. sic de Cappari, de Lupino, de minori Chelidonio,  
 & de Batrachio sapè obseruatur. Color quandoque ex regione variatur. Taxus  
 enim in Achaia nalcens folio nigro, aut puniceo constat, ex Theophrasto, in Ida  
 flavo, & cedro similis. Quod ad tangendi qualitates attinet, alterationes in plan-  
 tis fieri, vno ore omnes affirmant. & Theophrastus in Pissotis dictis, frumentum  
 adeo firmum nasci tradidit, vt si quis plus comedenter, disfumpatur necesse sit,  
 & plerosque Macedonum ita interierit. cuius cauſam reddens, agri proprietatem  
 esse asserit, nam si alii transferrebatur, commurabile siebat. At si locus secundo  
 modo sumatur, nempe pro particuliari aliquius regionis parte, duplicum adhuc  
 habet considerationem. nam vel ita est, vt eius ratione figuræ variatio, vel  
 magnitudinis, vel saporis, aut consimilium contingat; vel quod alijs locis oriri plantæ  
 inueniantur ab illis, quas Dioscorides vel alij auctores recensent, nihil immutata  
 facie. vtroque enim modo deceptiones contingere possunt. Quædam namque  
 loca sunt pinguis, quædam macra, quædam arida, quædam viginosa, quædam  
 fabulosa, quædam glutinosa, quædam fertilia, quædam sterilia. suntq. montes, &  
 valles, plana, promontoria, lacus, flumiña, loca maritima, prærupsa, culta. sunt  
 & harum partium particulae, vt semita, limites, sepes, segetes, & id genus alia.  
 Auctores ergo quandoque in his, aliquando in illis locis herbas oriri tradunt, ac  
 quasdam loeos quibusdam plantis peculiares esse. id verò non perperò verum,  
 esse sciendum est, sed magna ex parte. cumq. in loco eis minus proprio, vt sapè  
 contingit, planta aliqua reperiatur, faciem adeo mutare solet, vt circa eius cogni-  
 tionem dubium non contemnendum relinquatur. Singulis itaque locis suam,  
 3. de his. cap. 3. esse in producendis plantis proprietatem, scriptum reliquit Theophr. Idemque,  
 alibi inquit. Mutationes verò, vt supra diximus, in sapore, odore, & magnitudi-  
 ne tam ipsarum plantarum, quam fructuum, soliorumq. fieri solent; folia enim,  
 angustiora, latiora, redduntur, & ad summam plantæ ipsæ ad hunc modum di-  
 uersæ efficiuntur. Quapropter locum unumquodq. sibi conuenientem quærit.  
 Conuenit autem is, quo vigore maximè valeat. quamobrem non omnibus  
 solum idem aptissimum est, sed alia gracile, macrumq. amant, alia arenaceum,  
 quædam etiam fabulosum, vt Brassica. ea enim, quæ secca sunt, siccum queritant  
 agrum, quæ humida, humidum, & sic alimentum pro sue nature ratione quæq.  
 attrahunt. Mutationes autem ex cultu contingentes dupliciter fieri possunt, vt  
 puta cum cui debetur, cultus non adhibetur, vel e contra. vtterque modus ma-  
 gnanim in plantis varietatem efficit, ex quibus sit, quo minus cognoscantur. nam  
 variant magnitudinem, taedium, qualitatem, colorem, saporem, odorem, for-  
 man. atque hanc non solum quia ex cultura diuersæ formæ in fructus, folia,  
 plantas integras imprimuntur, sed etiam, quia quandoque una species in aliam  
 mutatur. nonnunquam & substantiam ipsam variant, addendo vel dimi-  
 niuendo in planta, vt cum ex fructiferis infructifer fiant, & è contra. Cumq.  
 in delineandis plantis duplex mutationum genus contingere possit, vnum, quod  
 ex ipsis plantis ortum dicit, cum hec ob mutaram faciem cum descriptionibus  
 non conuenient, alterum, cum descriptiones plantis auctorum culpa non accom-  
 modantur; propterea habitu sermone de primo, restat de altero verba facere.

Descri-

Descriptiones namque non accommodantur plantis, vel ob inaptam comparationem, & similitudinem, vel ob multorum signorum defectum, vel nulla apposita plantarum nota, vel ob mendosum codicem: nam inter alias difficultates, que auctores omnes de materia medica scribentes summopere fatigantur, maxima ferè est, plantæ delineatio. unde cum alicuius plantæ notas, ut posteris cognoscendam relinquenter, describere vellent, nulla meliori via id aequi poterunt, quam plantas plantis comparando: quod si ex plantis aequi non possunt, ad animalia sèpius, interimè ad alia multa confugiunt. Quare si Dioscorides Iberdem describens, eius folia Lilij folijs similia dixisset, mala esset comparatio, & erroris caussam præbuisset. sic si Acori folia, Narcissi folijs similia fecisset, & Mei Athamanici folia Ferulae comparasset folijs. Pariter si quis Abuapalim describens, eius folia Lauri folijs similia fecerit, aut si Ayotechis folia Personatae folijs comparauerit, vel si Coapalim folia, Mali medica folijs similius dixerit, deceptionis causa præberet. & sic in alijs comparationibus, quas breuitatis causa omittimus. Contingit quandoque ob multorum signorum defectum deceptio, ut in Acacalide, Arifaro, Ammi, Paliuro, nonnulli (q. alijs), in quarum descriptione paucas notas Dioscorides posuit, & multas omisit. Ob id deceptions in his dignoscendis multæ contingere posunt: nisi quis diceret, Dioscoridē posuisse perpaucas notas, ita tamen precipias, ut rectè intueri, non sit admodum difficile predicta dignoscere simplicia. sic Tlilxochilt, seu flore nigro describendo, si nota ex siliquis deflumpta omitterentur, deceptio continget. pariter in Corolmecatl, seu Cunarium fune, si note ex fructu sumpta non ponerentur. sunt enim nonnullæ plantæ his similes, sed hisse notis, viribusq. satis differunt: ita etiam in Hoitziloxitl, seu arbore Balsami. Indici, signa ex floribus sumpta si in descriptione omitterentur, errandi occasio præberetur. Interdum in plantarum descriptionibus nulla à scriptoribus ponitur nota, vt Dioscorides in Bulbo esculento, Struthio, Silingine, Scandice, Crocodilio, Spina Arabica, Pulegio, Caro, Stoebe, Lagopo, Epipactide, Chameleuce, Empero, & alijs fecit, quas tanquam suo tempore vulgo notas, suis signis describere omisit. temporis postea diuturnitate, & medica professorum materiæ incuria, harum rerum memoria perit, & hinc erroris & controures risiarum posteris occasio orta est. Ob mendosum codicem errores quanplurimi quandoque continentur, multaq. reperiuntur in Dioscoride mendæ, quæ plantarum cognitioni sunt impedimento; quod librijs, aut versoribus potius, quam auctoribus adscribendum est, vt in Dictamni Cretensis descriptione tradita, in qua neque florem, neque semen proferri Dioscorides asserit, quod penitus falsum est; contrarium namque ab omnibus obseruatur. quem locum perbellè Bartholomeus Maranta, sua de dignoscendis simplicibus Methodo restituit, à quo nonnulla eorum, quæ diximus, mutuauimus. sic in Brassicæ Marinæ, tum etiam in Lithospermami, Nymphæ, ac Semperui tertij folijs à Dioscoride descriptis appetat. eodemq. modo in Agallochi descriptione textus depravatio in suspicionem venit, dum Dioſcor. macularum esse, inquit. qui textus à Matthiolo ex Oribasio, à quo nulla fit macularum mentio, emendatur.

Debet.

Erros

*Erros in Plantis facultatum ratione contingentes inuestigantur. Cap. XII.*

**P**ostremo errores in plantis facultatum ratione contingentes considerare oportet, quos triplici ex causa evenire posse diximus, nempe ratione plantarum, secundo ratione corporis subiecti, vltimo ratione affectuum præter naturam, quibus plantæ destinantur. omisissq. postremis, tanquam nostro proposito minus oportuni, de deceptione eveniente ratione facultatum plantæ tantum verba faciemus. quæ erit cum planta, quem pollicetur effectum, non praefiterit, quod pluribus ex causis evenire potest. Primo, si debita plantæ quantitas non ponatur, sed amplior, aut paucior debito; vel si conueniens fuerit quantitas, non autem perseveranter adhibita, vt si per multos dies esset propinanda, aut diutius loco adhibenda, sémel tantum fuerit accepta, vel per modicum spatiū loco hæserit. Secundo, si planta sola exhibeat, quam cum alijs admisceri oportebat, quæ eius vim vel retunderent, vel augerent, vel id, quod erat impedimento, vt facultas ad actum exiret, remoueretur. Tertio, si debitam non habeat preparationem, quæ est in ablutione, torrefactione, vlsione, trituratione, maceratione, alijsq. permultis. Quarto, ob malum delectum, videlicet, cum Planta, seu eius pars est incompleta, & immatura, aut nimia maturitate exoleta, vel quia non ex ea regione, in qua viribus pollet, sit accepta; aut ex conuenienti loco, aut oportuno tempore, lecta, vel si illa plantæ parte, quæ vñi medico non deseruit, quicquid vtratur, vt si vis sit in folijs, & radix, vel flos, aut semen sumatur. Quinto, cum non debita ratione exhibetur, vt si quid exterius est ad mouendum, intrò sumatur, nempe si deuoretur quod per sedem, alias uero corporis partes est immittendū, & è conuerso. Derelictisq. breuitatis caussa alijs caussarum modis, quibus plantarum ratione deceptio in illarum cognitione contingere potest, de quarto modo tantum, qui est ob malum delectum, breuite tractabitur. Plantarum itaque delectus duplex est, unus qui fit per vniuersales regulas, quæ cunctis plantis accommodari possunt; alter qui fit per particulares, quæq. quibusdam tantum conueniunt. utrumque Dioscorides nos docuit, nam regulas in vnaquaque planta seruandas ijs plantarum capitibus, in quibus opus fuit, adnorauit; vniuersales vñi tempore regulas, veluti separatas tractationem expostulantes, in sui libri prefatione quanbreuissime perstrinxit. Plantarum namque delectus, vel est ratione temporis colligendi, vel ratione regionis, locuè, vel ratione particularium locorum, in quibus colliguntur. Tempus ad tria referri potest, nempe ad aeris constitutionem, ad ætatem, plantæ dum colligitur, & ad eiusdem verlustatem postquam lecta est. Aeris constitutionem obseruandam his verbis suadet Dioscorides. Serena igitur coeli constitutione demetenda sunt: magni siquidem refert inter colligendum, si vel squallores, vel imbres infesti sunt. Ætatem vero plantarum considerari oportere idem his verbis ostendit. Verum in primis curam impendere oportet, vt suis temporibus singula demetantur, & recondantur. certè quod horum ratione medicamenta aut valent viribus, aut euanida sunt, nulloq. munere funguntur. At paulò post, inquit. Plerumque degenerant, ac minus viribus valent. multoq. magis, si non suo tempore, nec oportuni colligantur, aut si per imbecillitatem

In præf.  
tione cir-  
ca med.

litatem tabuerint. & prope præfationis finem, subdit. Quæ verò fruticosa sunt, Stoechas, Triflago, Polium, Abrotanum, Scripnum, Absinthium, Hyslopum, & alia id genus, semine prægnantia demetantur. flores quoque antequam sponte sua decidant, fructus autem, vt maturi decerpantur, necesse est, & semina vbi siccari ceperint, priuquam defluant. Herbarum succus, & foliorum elici debet germinans tum primum caulinis, lac, & lacrymæ excipiantur incisio per summum adolescentiae vigorem caule. Radices, & liquamenta, corticesq. vt recondantur, eximere conuenit, cum herba suis foliis exuuntur. hæc Dioscorides, qui de tempore, vt ad Simplicium vetustatem refertur, post eorum lectionem inquit, scire etiamnum conuenit, sola ex herbaceis medicaminibus Veratri genera, nigrum inquam, & candidum, multis durare annis, reliqua vcrò in trimatu inutilia, eti in hoc vereantur aliqui. A loco, & regione simplicium delectum sumi his verbis exprimit. Magni liquidem refert, si loca, in quibus prodeunt, cluosa, & ventis exposita sunt, & perslata, frigidaq. & aquis carentia. in his enim locis vires valdiores intelliguntur. e contra, quæ in campeltribus, riguis, & opacis, ceterisq. locis à vento silentibus nascuntur, plerumque degenerant, & viribus minus valent. De locis particularibus pro plantarum delectu, ac de varietate, quæ horum ratione contingere potest, satis supra dictum est. Quantum simplicium medicamentorum delectus pro deceptione evitanda conferat, quisque apud Galenum, inspicere potest, i. de Antidotis cap. 2. & c. 12. & lib. de Theriacâ ad Pison. ei adscripto cap. 12. & i. de medicamentis simp. loc. cap. 2. & 7. de med. pér genera cap. 4. & 3. eiusdem cap. 2. *Resellitur opinio dicentium, Inutile, & Inartificiosum esse tractare de Plantis, cuius opere dubia solvuntur. Cap. XIII.*

**H**is igitur ea, qua potui breuitate discutiss, objectionibus respondetur, & quo ad primam, in qua dicunt, descripciones esse fallaces; quamplures namque plantæ à priscis descriptæ, nostris si conferantur, esse dissimiles, nostrasq. plantas priscorum delineationibus non accommodari, eti ex dictis satis respondum sit, dicimus vltius, quod in dignoscendis plantis ex Auctorum descriptoribus, oportet fieri Chorum omnium notarum, quas Dioscorides ceteriuæ auctores plantis assignant, verum hac lege, vt siquæ non adsint, vel si adsint, mutationem tamen aliquam suscepint, diligenter consideremus, si ne hoc perpetuò in plantis, an ex accidente aliquo, cumq. sciamus, locum, aliasq. prænarratas causas posse plantæ faciem immutare, num si harum ratione quicquam à naturali forma recedat, vel deficiat, vel superaddatur, vt si sapor, vel odor, asperitas, lenitas, quantitas, maior vel minor, aut flos, vel caulis, vel id genus aliquod, non existat in plantæ aliqua, cui adesse deberet, cetera tamen signa ad vnum conueniant, nihil nos mouere debet, quin ipsam esse pronunciemus. Dicebant secundo, nostrarum plantarum facultates esse inefficaces, atque euaniadas, & vnum, quem ex antiquorum descriptionibus promittunt, non præstare, ar quia nihil æquæ perfectæ, ac certò veras plantas nobis demonstrat, quæ am carum effectus, facultatesq. quare nostras plantas diuersas esse ab his, quas prisci descripsere, concludunt, huius objectioni

Errores

objectioni sic satisfacimus. Etsi plantarum nota potissimum à viribus, ac vnu sumuntur, attamen quia hæc multifariam, vt dictum est, variari possunt, diligenter propterea num per se, & ex propria natura, an per accidens id contingat, perscrutari opus erit. nam si ex aliqa prænarratarum caussarum plantæ facultates mutantur, hoc erit per accidens, & alia notæ non repugnabunt, & planta diuersitas re vera non erit: at si ob nullam harum caussarum plantæ facultas mutabitur, certæ notæ aduersabuntur, & plantæ penitus diuersæ erunt. Quare non temerè in plantarum facultatibus inuestigandis examen est faciendum, vt perbellè nos docet Galenus sub his verbis. Accedit huc quod ipsa simplicita medicamenta non paruo variant discrimine: at ego cum in præstantissimis virtutem pro unaqua que specie, ac genere ostenderim, si quis in deterrimo per experientiam examinationem moliarit, examinabit quidem falso, non autem facultatis eorum ordinem distinxerit. idq. latius alibi admonet. factò ergo diligenti examine in Iberide, Centaurio minori, Smyrno, & alijs prænarratis herbis, si qua reperiatur mutatione delineationi repugnans, ea est ex accidente quopiam ex aliqua prænarratarum caussarum genito. pariterq. de illarum facultatibus afferendum. Obiectiōnibus vero, quas de plantis noui Orbis afferunt, sic respondet. Etsi plantarum delineatio difficultis sit, ( plantarum namque aptas similitudines inuenire adeo laboriosum est, vt temper aliquid in cunctis delineationibus desideretur ) nos tamen venandarum delineationum regulis inhærendo, Dioscoridem insequentes præribus plantas, aliaq. simplicia in hoc opere contenta delineare, ac describere conati sumus. Ei autem, quod obseruatum est, nempe nonnullas plantas noui Orbis indigenas, in Hispanicas has regiones translatas, obiisse, paulumq. temporis permanisse, dicimus, id euensis delectus culpa, vel cultus. Delectus, quia elegunt plantas, seu earum semina ortum ducentia in regionibus, & particularibus illius regionis locis nullam conformitatem cum hisce regionibus, & locis Hispanicis habentibus, & forsitan penitus dissentientibus. Cultus vero culpa, quia, eti possent eligi regiones, & particularia loca illis congruentia, id neglexerunt, ac illa aduersantibus regionibus, ac locis seruerunt, plantaueruntq. Quantum enim, quidam loci quibusdam plantis peculiares sint, quantumue plantæ ex regionum, & particularium locorum repugnantia variari possint, satis supra explicatum est. Ad illud vero quod opponitur, ob plantarum facultatum magnam mutationem, viriumq. inefficaciam obseruatam in plantis è nouo Orbe in Hispanicas has regiones translatis, responderi potest, inter ceteras caussas plantarum vires mutantes supra narratas, id euensis potuisse ratione mali delectus, quia plantis, vel incompletis, vel nimia maturitate exolexit quis vnu fuerit, vel quia vnam plantæ partem pro alia sumperit, vel quia plantas in non debita regione, eiusu particuliari conuenienti loco satas expertus sit. Et si quis instaret vltius dicens, supranos Hippocratis, & Galeni auctoritatibus innixos afferuisse, regionis, ac loci ratione in plantis, quamplurimas adeoque magnas fieri mutationes, vt & stirpium indagatoribus, ac Medicis, Philosophisq. maximum fecerit negotium, eoq. magis, quia in plantis, vñluti & in quamplurimis alijs, duplē reperi naturam, vnam specificam, & innatam, alteram aduentitiam, & ex confuetudine contractam, scriptum reliqui Theophrastus sub his verbis, Thracium Triticum etiam in me-

4. de easif.  
plan. c. 12.

C litora